

u Epiphanius hares. 55.

x Tertullianus in Catalogo ad finem lib. de praescriptis. y Tertullianus loc. cit. Augustinus hares. 34.

z Psalmus 109.

a Hebraei 7. 6.

\* Hebraei 7. 3.

b Vide Epiphanius hares. 55. & Philastrius c. 52.

c Romanus 8. 26.

sectam, quod Theodoti Coriarii errores prosteretur, S. Epiphanius [u] Theodotianorum ramum appellat, qui Jesum Christum, licet e Matre Virgine ortum, & Spiritus Sancti virtute progenitum, hominem tantummodo esse defendebant (x). Melchisedechiani igitur Melchisedechum non hominem esse, sed caelestem Virtutem ipso Jesu superiorem mentiebantur; Melchisedech enim (y), dicebant, mediator est Angelorum; hominum vero tantum Christus. Addebant, eundem Christum non nisi imaginem Melchisedechi exhibuisse, juxta Psalmum (z): Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech. Huic denique viro neque patrem fuisse, neque matrem, ejusque principium & finem nullatenus comprehendi posse asseriebant.

Haresim hanc S. Epiphanius fufius refellit, & Melchisedechum ex iis, quae de eo ex Moysse accepimus, & ex ipsis Apostoli verbis (a), cujus generatio non annuntiat in eis &c. hominem fuisse satis ostendit. Non igitur, inquit, sine genealogia Apostolus Melchisedechum statuit, sed eam tantummodo inter Hebraeorum genealogias non recenseri admonet. Si Melchisedechus, addit, Paulo teste (†), assimilatur est Filio Dei, eodem Filio Dei prior est & superior; non enim speciosum habetur, quod Dominus v. g. servo, aut superior inferiori assimilatur.

Suis fabellis asserendis Melchisedechiani libellos quosdam supposuerunt, quos canonicorum Authorum nominibus inscribebant (b). Haec haresis brevi cessavit. Tertio exeunte saeculo, aetate, qua Diaconus Hilarium suam, quam paulo ante post S. Hieronymum refutavimus, sententiam prodidit, hanc haresim, apud Aegyptios innovavit Hierax, qui patriam Leontinus, Scripturarum peritissimus, & professione integerrimus, Melchisedechum eundem cum Spiritu Sancto esse venditabat.

Spiritum vero Sanctum aeternum esse Sacerdotem inde probabat, quod Paulus ad Romanos scripserit (c): Spiritus Sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Ostendebat praeterea Spiritui Sancto, non secus ac Dei Filio, neque Patrem fuisse in caelis, neque in terris Matrem: quam opinionem apocrypha de Isaia Ascensione Textu fulcire conabatur: Et Angelus ostendens mihi sedentem a dextris Dei loquutus est ad me, dicens: Quis est ille? & ego dixi: Tu scis, Domine mi. Qui dixit: hic est Filius unicus & dilectus Dei. Et ego rogavi dicens: Quis est ille sedens a sinistris, & similis Filio Dei? Respondit Angelus: Spiritus Sanctus, qui loquitur in vobis, & in Prophetis, qui assimilabatur unico Filio Dei. Postrema haec verba ad locum Epistolae ad Hebraeos respiciunt: Assimilatus manet Sacerdos in perpetuum.

Quae Hieracis argumenta ita evertimus, x. Quod Spiritus Sanctus pro nobis gemitus inenarrabilibus postulet, aeternum esse Sacerdotem jure non statuitur. Hos gemitus in nobis excitat; ad preces nos impellit; piis sanctisque votis nos imbuunt; ut veniam mereamur, impertit; & quae a

Patre flagitamus, nobis consequitur. Quae tamen omnia nequaquam ut Sacerdos praestat. z. Plus nimio intercedit inter ea, quae de Melchisedecho a Scriptura asseruntur, quod scilicet parentibus, & principio, & sine careat, ut ejus parentum nomina, & ortus, & mortis tempora a Moysse fuisse silentio praetermissa, designentur; & inter ea, quae Hierax enunciat de Sancto Spiritu, cui utique neque principium, neque finem, neque parentes esse convenit, cum Deus & ipse sit aeternus atque infinitus. 3. Ascensionis Isaiae auctoritatem nihil moramur; illius enim opusculi Author, cui ab Ecclesia nunquam ulla fides, iisdem forte, quibus Hierax, erroribus adhaerebat.

Aliud Melchisedechianorum genus (d) Cedrenus, & Zonaras commemorant, quos appellatos dicunt Atinganos, quasi scilicet, ne contaminarentur, alios attingere non auderent: recentiores erant, & Manicheorum ramus videntur. Circumcisionem, & Sabbathum respuebant; proprie neque Judaei erant, neque Ethnici, neque Christiani. Eorum sedes potissimum in Phrygia. Si quid illis offerebatur, manu capere renebant; quin & a quibuslibet ex alio accipiendis abstinabant; si quid enim alteri tradere, aut vicissim recipere voluissent, illud vel in terra deponerent, vel depositum capiebant. Summus apud eosdem Melchisedechi cultus, cujus tamen rei gratia, ignoratur.

Judaei, auctore S. Hieronymo (e), & Samaritae, referente S. Epiphano (f), Melchisedechum eundem esse ac Patriarcham Sem filium Noe putabant; quorum opinioni nostrae aetate quamplures adhaerant (g). Sem natum credimus anno ab Orbe condito 1558. vixisse vero annos sexcentos, & tandem anno 2158. occubuisse. Abraham natus anno 2008. annum agens 75. regionem Chanaan ingressus est ann. 2083, Melchisedechi vero benedictione donatus est anno 2092. annis 66. antequam Sem de vivis excederet. Hinc Chronologia allate sententiae minime adversatur; aliunde tamen argumenta suppetunt, quare minime credamus, quod Sem in Cham portionem se contulerit; & Scriptura, quae toties Sem memorans, ejus verum propriumque nomen adducit, nulla de causa illud immutaverit.

Apostolus praeterea Melchisedechi genealogiam atque parentes omnino latere asserit. Sem vero Noe filium scimus; genealogiam etiam ab Abraham usque ad ejus ortum, & ab ejus ortu usque ad Abraham, & adhuc ulterius perspicuam habemus. Moyses denique ejus nativitatis & obitus annos recenset. Qui vero nullos Altissimi Sacerdotes Abrahamo superiores, praeter solum Sem, tunc temporis existere potuisse defendunt, pluribus obvolvuntur erroribus. Putant enim, Sem ex Noe filiis natum majorem, quod satis adhuc ambiguum; statuant praeterea Sacerdotum dignitatem ad solos Primogenitos jure pertinuisse, quod praeter prorsus incertum. Quod de Abrahami meritis cum Sacerdotis ei benedictionem

d Vide Cedren. Zonar. Scaliger. ad Euseb. p. 241. Timotheus Presbyt. CP. de receptione haesic. p. 392. 1. 3. Monument. Greg. Coteler.

e Hier. Ep. ad Evang. & tradit. Hebr. in Genes. f Epiph. hares. 55. g Vid. Lyrano. Abul. Cajet. Eugub. in Genes. 14. Rupert. in Matth. 1. Galat. de Arcan. l. 10. c. 62. Genes. in Chronie. Torriel. Annal. Moller. in Psal. 110. Montacut. p. 216. Hugo Broughton, & Job. Vales. Suarez, alii apud Zonaram & Schlegel.

h Jonathan Jerosolym. alii Rabb. plerique Aug. 9. 72. in Genes. Theodoret. 9. 76. in Genes. Cosm. Monach. l. 3. p. 217. k Genes. 25. 23. l Juvianus hist. Critic. Dogmat. l. 1. Galat. l. 2. m Genes. 9. 22. 25. 26.

n Lud. Borgef. hist. Critic. Melchised. c. 4. 5. Christoph. Vichmairhaus. Melchised. ab injuria defenf. Philipp. Olear. Disput. de Cham Maledicto, apud Fabric. Cod. Pseudepigr. V. T. p. 333. o Vide Salian. in praefat. in tom. 5. Annal. p Salian. ibid. q Auxoles de la Peire in pr. Paris. 1626 in 4. & Hebr. 7.

r Cor. 15. 47. t Petav. l. 3. Dogmat. Theol. Traact. de Opificio sex dierum l. 1. c. 4. art. 3. u Apud Seldeni. curis secundis sect. de Decimis. x Horat. l. 1. Sat. 6.

nem clargientis virtute collatis ante minimis, hic praeterimus. Quemlibet Sacerdotem, cum alteri benedicit, alteri illi, in ea saltem caeremonia, praestantiorum esse nemo ignorat.

Qui Melchisedechum cum Sem confundunt, illud praestitere, ut Hebraeorum plurimi (h), & plurimi etiam ex veteribus & recentioribus Interpretibus (i) Rebecam ad Melchisedechi consilium tum confugisse putaverint, cum de duobus parvulis, quos utero gerebat, illud audiverat: Major serviet minori (k).

Novus Author (l), sententiarum temeritate celeberrimus, Melchisedechum eundem cum Cham esse defendit. Quomodo vero laudes, quibus Scriptura Melchisedechum cumulat, & characteres similitudinis, quos Melchisedechum inter & Messiam Paulus ostendit, cum iis cohaereant, quae de Cham a Moysse accepimus (m), qui, praeterquam quod ei in filio suo Chanaan Deus maledixerit, potius reprobi nobis typum refert, quam Messiae Praedestinatum capitis figuram? Hac sane opinio satis superque refellitur ab Authoribus, qui majori, quam res mereretur, studio in eam data opera scripserunt (n).

Gallus quidam in suo (o) Opusculo, quod Melchisedech consuetudo inscribit, Melchisedechum eundem esse praefert ac Patriarcham Henoch, qui adhuc de vita non excessit, & de quo etiam hic dicitur: neque finem vitae habet. Quem Authorem Salianus valide refundit (p).

Alter, qui Librum quendam edidit Epiphanius inscriptum, insulam hanc de tribus Magis fabulam intexit (q). Hos enim esse defendit Henochum, Melchisedechum, & Eliam. Tuum de Melchisedecho ita sentit: caelestem nempe esse hominem, non terreno, sed caelesti constantem corpore, qui non ex Adami stirpe descendens, ante Adam ipsum, imo ante lucis & mundi exordium procreatus est a Deo. Cum vero de Melchisedecho Apostolus scripserit (r), Assimilatus esse filio Dei inde statim inducit, Filium Dei paulo ante Melchisedechum eundem cum Melchisedecho naturae pro creatum; orbis initio quosdam homines a Deo caelestes conditos, ut Dei Filium & Melchisedechum; quosdam vero terrestres, ut Adam, descendit; ad quos Paulum respexisse autumat iis verbis (s): Primus homo de terra terrenus; secundus homo de Caelo caelestis. Dominum tandem Jesum bis hominem esse factum, primum caelestem, cum caeleste corpus induit sub orbis initium, deinde terrenum, carne de Virgine assumpta. Ab inani hac refutanda opinione abstinemus, quod Petavus ejus vanitatem simul & impietatem validissime confutavit (t).

Judaeorum nonnulli ex vitio concubitu natum illum temere didicerunt; cum sive de ejus genere, sive de parentibus nihil in S. Scriptura (u); cujusmodi notorum parentes, quod incogniti & incerti sint, silentio solent praetermitti. Illos Horatius saggillat (x), nullis majoribus ortis; Livius etiam de Anco Martio Romanorum Rege ait (y): Ancus patre nullo, matre serva. Seneca demum (z) Duos Romanorum Reges esse asserit, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Servii matre dubitatur: Ancus pater nullus; Numa nepos dicitur. Verumtamen quod Scripturae silentium hanc de parentibus Melchisedechi rationem habuerit, non modo nullibi certo praefertur, sed neque ullam veri speciem ostendit. Etenim ex eo silentio neque Melchisedechi laudandi argumentum Paulus eruisset, neque similitudinis cum Messia characterem induxisset.

Melchisedechum Filium Dei esse, qui per hominis speciem se Abrahamo videndum exhibuit, nonnulli Melchisedechiani autumarunt (a). Quae quidem opinio identidem nata est fautores. Theodosio Juniore imperante, Solitarium Aegyptium. Virum integerrimum in hanc sententiam venisse ferunt (b); quare ad S. Cyrilli Alexandriae Archiepiscopi consilium confugens, & ab eo ad preces remissus, Deum triduo exoravit; & ad Cyrillum reversus, Melchisedechum non esse Filium Dei, sed hominem falsus est, quem & Patriarcharum ab Adamo prognatorum comitem per visum inspexerat.

Eidem sententiae & Rabini quidem subscribunt (c), quam praeter ceteris Petrus Cunaeus enixe defendit (d). Porro vir iste doctus omnes elegantiae & eruditionis suae nervos in eandem sententiam probandam intendit: sive autem eruditione, sive elegantia valet plurimum; ex quo argumentum capere licet quanto nitu in asserenda sententia, ejus etiam confessione singulari, enitatur. Melchisedechum ille non hominem, sed Messiam statuit, qui Abrahamo a quatuor Regum caede regredienti se obvium exhibuit. Abraham vero, subdit, primum hominem credidit, sed statim majus quid, & divinius cum ducens, ut Messiam venturum agnovit, & muneribus & decimis cumulatam adoravit. Putat praeterea eundem Dei Filium aliquibus post annis a duobus Angelis stipatum iterum se Abrahamo obtulisse; quibuscum & ejus tentorium ingressus, ejus quoque mensae accubuit.

Hanc inter utramque apparitionem, addit Cunaeus, illud tantum intercedit, quod ubi Filius Dei Abrahamo in convalescente Mambre se exhibuit, perspicue Dominus a Scriptura appellatur; ubi vero ei sicut obvium in itinere, Melchisedechus dicitur; cujus rei mysterium Davidi & Apostolo aperiendum Scriptura ipsa reliquit. Quare David id praestiturus in Palmis (e) enunciat: Tu es Sacerdos in aeternum secundum ordinem Melchisedech, nempe sicut Melchisedech; quod utique Paulus fufius tunc explicat, cum scribit e.g. Melchisedechum assimilatum esse Dei Filio, nempe, eodem Cuncto auctore, Filium Dei, cum in via Abrahamo occurreret, cum vultum, eumque habitum corporis sibi finxisset, quem postea gessit in terris.

Huc denique, ait, respexit Jesus, ubi dixit Judaeis [f]: Abraham pater vester

y Liv. lib. 4. c. 3. z Senec. Ep. 108.

a Epiph. hares. 55. b Coteler. Monument. Graec. t. 1. p. 423. 424. c Rab. Moses Hadarfan. d Petr. Cunaeus de Republ. Hebr. l. 3. c. 3. Quoniam recepta opinio adversari ipsa ratio mihi videtur, valentior esse omni auctoritate debet veritas. Ego sic existimo, Melchisedechum non hominem utique ex hominibus genitum, sed divinitus natum esse. Profugaverat Reges impios Abrahamus, & victrices reducebat copias. Fortè tunc in itinere obvium se illi tulit Filius Dei specie humana, habitu Sacerdotis, Regisque indutus. Statim Abrahamus esse hoc majus quiddam, celsumque sensit. Itaque quod sub imagine latebat, mente coluit, & Messiam summo Regi, Sacerdotique, quem mortalibus olim dandum intelligebat, presenti praesens munera decimasque obtulit.

e Psal. 109. 4. f Joan. 8. 56. M m 2 exul.



exultavit ut videt diem verum; vidit, & gavisus est. Quod tunc factum esse insinuavit, cum Filius Dei, seu Melchisedech Abrahamo se obtulit.

Chronie. P. 49. Edit. Cang.

De Melchisedech quiddam affert Chronicon Paschale, quod ad Cunæ opinionem satis refertur (g). Abraham die quadam Deum alloquutus, Domine, inquit, si Angelum tuum meâ atate missurus es, tribue quæso ut videam. Cui Dominus: Angelum quidem meum non aspicias, sed ejus diei videbis imaginem. Descende, Jordanem trajice, & videbis. Flumen trajecit, Melchisedechum sibi obvium aspexit, agnovit, adoravit, diem Domini vidit, & gavisus est.

Hic verò Author à Cunæo valde discedit, quòd Melchisedechum à Cham proptatum, & à Deo extra patriam regionem uti Abraham, educum putet; quem præterea ultra seu ad Jordanis Orientem, sicuti Abraham citrà, seu ad Jordanis occasum constitit, stationem sibi posuisse testatur. Qua tamen in re toto Cælo aberrat, cum Authorum nemo Salem urbem, Melchisedechi imperantis sedem, ultra Jordanem constituat. His autem verbis, Abraham diem Domini vidit, vel Isaac ortum, vel eundem ab immolantis patris cæde divinitus ereptum, Dominus designavit (h); vel fortè ad eos Angelos respexit, quos sibi obvius in convalle Mambræ hospitio Abraham excepit, eosque ita alloquutus est, veluti Deum ipsum alloqueretur (i).

h Genes. 22.

i Genes. 18.

Ad Cunæum revertamur. Quidquid de Melchisedech recenset Apostolus, de suo Melchisedechi systemate explicat. Præ cæteris verò, iis Pauli verbis innititur (k). In Lege Levitæ morientes homines accipiunt decimas. Cum quibus illud Psalmi conferens (l): Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech; hic, inquit, de Melchisedech cæu vitam adhuc agente sermo instituitur: si ergo Davidis adhuc atate Melchisedech superites fuerat, minimè equidem mortalis erat. Ceteras denique hujus loci interpretationes minimi facit, & prorsus rejicit: Agant se, versentque in omnes partes ii, quos & præsent, & prior atas tulit: nihil nisi nubes, atque inania præsentabant nequicquam, & suis se tenebris involvent.

l Psalm. 109. 4.

Hæc de Melchisedech sententia probata etiam fuit Petro Molinæo, & annis post duodecimginta Jacobus Gaillard Tractatu fufiori, anno 1686. Lugduni Batavorum excuso, eandem defendendam suscepit. Melchisedech non singularis hominis nomen, sed genericum statuit, quo Messias per suam Justitiæ Principis qualitatem innuitur, sicuti alibi etiam per Sacerdotis æterni, pacifici Regis, Emmanuelis nomina designatur; Salem verò non urbem peculiarem censet; sed appellativum nomen, quo Messias Rex Pacis futurus prænunciatur. Opiniones suæ denique fautores plurimos allegat (m).

m Vid. Ad. Eruditor. Lips. an. 1686. p. 150. Schlegel. Dissert. de personâ Christi, ad calcem Tenæ in Ep. ad Hebr.

Christophorus Schlegelius (n), qui fusè de Melchisedech scripsit, fusè etiam Cunæo refutando incumbit. Nos neque ejus

methodum, neque prolixitatem imitantes, sed Moysis, Davidis, & Apostoli Textus simplici & naturali explicatione interpretantes, hoc uno Cunæi sententiam nullatenus defendi posse ostendimus. Nullo primum negotio Melchisedechum hominem fuisse probamus, cum Moyses ejus nomen, & domicilium, & dignitatem præferat (o): Melchisedech Rex Salem, Sacerdos Altissimi. Hic Sodomâ, & Gomorrhâ, quas Abraham strenuissimè defendendas assumpserat, non procul degens, ejus animi virtute captus, à Regum fœderatorum cæde revertenti occurrit, & gratis de beneficio toti regioni præstito adis, exceptum, & benedictionibus cumulatum pane & vino refecit, ei nempe, & vitricibus ejus copiosè opulentam refectioem adhibuit. Abraham vicissim Religione, & Altissimi, cujus Sacerdos Melchisedech, cultu, unâ etiam hujus Principis comitate affectus, prædarum decimas, quæ neque ad Sodomæ Reges, neque ad eorum fœderatos pertinebant, eidem obtulit. Quæ omnia homine excellentius in Melchisedech nil præferunt.

o Genes. 14. 18.

Nihil etiam homine majus ei tribuit David, qui diu post Moysen magnitudinem & Messias regnum prænuncians, Dominum Christo suo dixisse asserit (p). Tu es Sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech. Non Melchisedechum, sed Messiam æternitatis afficit, Melchisedechi verò ordo Aaronico ordini hic opponitur. Tu Sacerdos in æternum, non instar Sacerdotum, quos Aaron progeniit, sed instar Melchisedechi Sacerdotis Altissimi, cujus Sacerdotium in suos posteros minimè demigravit; cum ex eo progenies minimè effluerit, quæ sicut progenies Aaron, per generationes plurimas Sacerdotii dignitatem possederit. Tu verò solus, & in æternum Sacerdos appellaberis.

p Psalm. 109. 4.

S. Paulus cum Sacerdotio Aaronis Jesu Christi, seu Messias Sacerdotium conferens, & huic præ quibuslibet præstantissimis offerendo incumbens, quidquid laudis de Melchisedech Scriptura recenset, congerit, & quidquid Melchisedechus olim in se ipso, in suis actibus, in suis Sacerdotalibus, & Regis dignitatibus de Messias per figuram exhibuit, ab ipso Christo modo longissimè præstantiori adimpletum ostendit. Melchisedechum Christi esse typum primò statuit, eamque idcirco phrasim adhibet Melchisedech assimilatus Filio Dei, ut à Scripturâ Christi adventuri imaginem consequeremur. Quare Christum Melchisedechi similitudinem prætulisse non enunciat, ne Melchisedechum ante Christum extitisse, eumque exemplum, Christum verò exemplar putaremus. Christus utique exemplum fuit, Melchisedechus exemplar, quod quidem mundo exhibitum est ante Christum, in quem veluti in primum exemplum Scriptura semper respexit.

Regis Salem, seu Regis pacis dotem, qua insignitus erat Melchisedech, Apostolus asserit, & ab ejus nomine, quod Regem Justitiæ sonat, à Sacerdotio, à Decimis,

mis, quas ab Abrahamo acceperat, & à benedictione, quam eadem Patriarchæ impertit, similitudinis cum Messias characteres, & argumenta deducit, quibus eisdem Sacerdotium Sacerdotio Aaronico antecellere ostendat. De parentibus denique, & Melchisedechi genealogiâ silentii mysterium aperiens, id factum esse docet, ut Christus verè in calis sine matre, sine patre in terris, & novæ Legis æternus esse Sacerdos ostenderetur. Quem locum veteres Ecclesiæ Patres, omnesque fermè recentiores Interpretes ita explicant, & huc etiam per totam Epistolam Apostolus intendit.

q Hebr. 7. 8.

En Textum, quos de Cunæi sententiâ, Melchisedechus non homo, sed Dei Filius invide probatur (g): Et hic quidem decimas morientes homines accipiunt; ibi autem confestatur (de Melchisedech) quia vivit. Si certò Melchisedechum à Levitis idcirco differre constet, quòd hi obierint, ille autem vivat, Melchisedechum & Levitas vel naturâ ipsâ diversos esse inter se compertum utique habemus. Necessè verò est, ut omnem Apostoli ratiocinationem animadvertamus; de Melchisedech enim Scripturam meminisse primùm asseruit (r), quin ejus parentes, & genealogiam recensuerit, statimque subdit (s): Neque initium dierum, neque finem vitæ habet, assimilatus Filio Dei manet Sacerdos in perpetuum.

r Hebr. 7. 3.

s Ibid.

Hic Melchisedechi Sacerdotium æternum statuitur; æternitas autem in ipso quidem figuratè, in Christo verò reipsâ. Ita Melchisedech ex Abraham, & in Abraham ex Levitis ab eo prognatis decimas accipiens, verè ex Abraham, & eodem sensu, quo æternus est, nempe figuratè, etiam ex Levitis accepit. Christus, cujus figuram Melchisedech præferbat, verè æternus, ejusque Sacerdotium verè æternum, & Aaronico Sacerdotio longè excellentius; Melchisedech autem Levitis non nisi figuratè superior, quòd nempe Sacerdotii Filii Dei speciem referret.

t Heinf. Exercit. in hunc loc. Ita Ambrosiast. Quis est qui vivit? Ille etiam qui secundum ordinem Melchisedech factus est Sacerdos in æternum. Ita Jacob. Capell. Knatebull. in Hebr. 7. 8.

Non desuere, qui ab allato Apostoli Textu non modò Melchisedechum, verùm etiam Jesum Christum vivum & immortalem respici defenderint (t). Explicatio verò, quam prætulimus, cum litera, & cum reliquo Apostoli ratiocinio magis coherere videtur.

Iis, qui Melchisedechum Angelum esse statuebant, refutandis non immoramur, quorum opinionem satis tum evertimus, cum Melchisedechum & hominem, & Urbis Salem in Palestinâ Regem exhibuimus. Hæc itaque tam Vetus quàm Novum Testamentum nos edocent, quæ adhuc hac ratiocinatione probantur. Melchisedech certè Filii Dei speciem referebat, Assimilatus est Filio Dei, inquit Apostolus. At Sanctus Spiritus & Dei Filius sese hominibus videndos offerentes, Messias seu typum, seu figuram per se ipsos minimè poterant exhibere; Melchisedech igitur neque Angelus erat, neque Dei Filius, neque Spiritus Sanctus.

Ut in Veteri Testamento vel per vaticinia prænunciaretur, vel per figuras exprimeretur Messias, Deus sæpè homines excitavit. Noe v. g. Isaacum, Davidem, Salomonem, quos Filii sui dotes, virtutes & actiones referentibus characteribus decorabat; sæpè etiam Spiritu suo Prophetas afflavit, ut Messiam veluti per colores describerent, & ejus adventus, mortis, resurrectionis circumstantias vel suis verbis, vel interdum suis actionibus exhiberent. Huc semper Vetus Testamentum respexit; huc ipsius Dei Filii & Apostolorum seu colloquia, seu conciones collimarunt. Jesus Christus non nisi verba, & Prophetarum, seu veterum Patriarcharum actiones nobis allegat, cum se Messiam probat, vel in se ipso characteres à Scriptura designatos exhibet, vel denique Legis figuras, & Prophetarum promissâ in se ipso adimpleri ostendit. Quem morem vel in concionibus vel in Epistolis & Apostoli retinent.

u Vid. Tenam in Ep. ad Hebr. c. Difficult. 2. sect. 2. x Genes. 18. 1. 2. 14. 20. 25. y Act. 7. 30. z Galat. 3. 19. Hebr. 2. 1.

Si quis ex Patribus in Veteris Testamenti apparitionibus quandoque Jesum Christum agnovit (u), minimè ejus fidei adversamur; imò & nos unâ cum ipsis & eodem, quo ipsi, sensu Christum intelligemus; illum quem Abraham adoravit, & Jehovah & Omnipotentem Scriptura appellat (x); illum, qui in ardenti Rubo Moysi se obtulit, & in Sinai monte Legem tradidit, Filii Dei speciem prætulisse fatemur, fuisse nempe Angelos, ut ab ipsâ Scriptura edocemur (y), qui Deum referebant, & Dei nomine loquebantur. Nos verò Melchisedechi & Abrahami occursum nullatenus apparitionem fuisse defendimus, ut ex totâ ipsius Moysi narratione satis præfertur. Esto tamen, apparitio hæc fuerit; utique Dei Filius se tunc Melchisedech non obtulit, non enim per se ipsum poterat sui ipsius figuram exhibere, cum exemplum ab exemplari necessariò differat. Esto etiam, fuerit Angelus; adhuc sanè Angelos, qui Christi typum præferrent, à Deo adhibitos non esse constaret; Dei enim Filio assumenda erat hominum (z), non Angelorum natura; quare hominibus tantummodò congruum erat, ut Messias adventuri speciem exhiberent.

1. Hebr. 2. 16. Nusquam enim Angelos apprehendit, sed semen Abraham apprehendit. \* Hippolyt. Irena. Euseb. Casar. Euseb. Emilian. Apollinar. Eulstat. apud Hieronym. Ep. ad Evangel. Ipse Hieronym. Joseph. l. 1. Antiqu. c. 11. & l. 7. de Bello. 18. Egesipp. l. 3. c. 9. de excid. Jerosolym. Philo de congress. quar. erud. grat. p. 438. Theodor. qu. 63. in Genes. Occumen. in Hebr. 7. Chrysost. in Ep. ad Hebr. hom. 12. Theophyl. alii passim.

Ut tandem Dissertationem concludamus, cum Patrum [\*], & Interpretum plerisque asserimus, Melchisedechum Regem Chananæum fuisse, qui Deum verum colens, & justitiæ adherens, in Urbe Salem, alio nomine Jebus, dicta postea Jerusalem, imperabat. Hic, cum Abraham à quatuor fœderatorum Regum, qui Pentapolim invaserant, & Sodomæ & Gomorrhæ Reges vicerant, cæde reverteretur, victori occurrit, refectioem offerens, & benedictionem impertit, eum nempe laudibus cumulavit, & Deo Altissimo, cujus erat Sacerdos, pro ejus salute vota & supplicationes exhibuit. Abraham verò per Melchisedechum prædarum decimas Deo obtulit, ut ejus ope sibi paratam victoriam testaretur (†).